

The Electronic Manipulus florum  
www.manipulusflorum.com

Maria a  
cum fonte primo

Excepta sancta uirgine Maria de  
qua propter honorem Domini nullam  
prorsus haberi  
uoło questionem: inde enim scimus  
quod ei plus collatum fuerit gracie ad  
uincendum omni ex parte  
peccatum, quia concipere ac parere  
meruit eum quem constat nullum  
habuisse peccatum? Hac ergo uirgine  
excepta, si omnes sanctos et  
sanctas cum hic uiuerent congregare  
possemus et interrogare utrum essent  
sine peccato, quid fuisse  
responsum putamus,  
nisi quod ait Iohannes:

Si dixerimus quod peccata et cetera?

Augustinus libro de natura et gracia.

excepta itaque sancta uirgine Maria, de  
qua propter honorem domini nullam  
prorsus, cum de peccatis agitur, haberi  
uoło quaestionem — unde enim scimus  
quid ei plus gratiae conlatum fuerit ad  
uincendum omni ex parte  
peccatum, quae concipere ac parere  
meruit, quem constat nullum  
habuisse peccatum? — hac ergo uirgine  
excepta, si omnes illos sanctos et  
sanctas, cum hic uiuerent, congregare  
possemus et interrogare, utrum essent  
sine peccato, quid fuisse  
responsuros putamus? utrum hoc quod  
iste dicit, an quod Iohannes apostolus,  
rogo uos. quantalibet fuerint in hoc  
corpore excellentia sanctitatis, si hoc  
interrogari potuissent, una uoce  
clamassent:  
si dixerimus quia peccatum non  
habemus, nos ipsos decipimus et ueritas  
in nobis non est.

Augustinus Hipponensis, *De natura et  
gratia*, 36, 42 (CSEL 60, K. Urba & J.  
Zycha eds., pp.263-4, ll.23-24, 1-11).